Regio.

EVROPAM licet omnium minimã, primo loco cum potissimis Terrestris Globi Delineatoribus, describemus: vel ob soli nobilitatem, vel ob frequentiam incolarum, vel ob præclara eorũ facinora qui eam hactenus tenuêre. Plinius eam altricem vocat victoris omnium gentium populi, longéque terrarũ pulcherrimam. Aliæ sanè partes etsi maiores sint, vastioréque, minùs tamen habitatæ sunt. Principium igitur det has aliásq; ob causas plurimas Europa: nobilissima hæreditatis Iapheti (qui primogenitus Noæi liberorum sua pomeria produxit etiam in fratrum Semi Chamique terras) portio. Hęc paucis de ordinis ratione: iam

Europa unde dicta.

nunc Etymon succedit explicandũ. Herodotus nominis huius originẽ ignorari notat: aliis tamẽ ab Europâ Tyriâ dici, Agenoris Phœnicũ (Libyę inquit Isidorus) regis filiâ: quam Iovem in Bovem conversum rapuisse tergóque impositam Sydone in Cretam, vel Cyprum avexisse, fabulantur veteres. Alii fabulis reiectis, raptam volunt Navi Tauriformi: alii Navem hîc agnoscunt quæ Iovis tutelam, effigiémque Tauri habuerit. Palephatus virum quendam Cretensem Taurum nominatum fuisse scribit, qui ex Tyrrhenâ regione cum cęteris puellis Europam regis filiam abduxit captivam: sunt qui Legionẽ militarem fuisse arbitrantur, cui inter Signa Insigne erat Tauri: quidam, ob pulchritudinem regionis, per similitudinem raptæ filiæ, sic appellatam ferunt. Ab Europo sic vocatam non malè quis dixerit, quem in hac Orbis Terrarum parte aliquando regnum tenuisse memoriæ proditũ. Becanus persuaderi nolens Europam Græcam habere nomenclaturã, quũ priùs ab Cimmeriis sit habitata, quã ab Græcis, iisq; alia quàm his fuerit lingua, sic vocatam putat à gentis præstantiâ: *VER* enim monosyllabũ per dipthongum elatum nihil aliud esse, quàm magnum quid & excellens, quódque in quáque re præstantissimum: *HOP* autem hominum multitudinem designare. Europæos, hodie *Francos* universim appellant Asiatici. Turcis *Franki* vocantur religionis Romanæ cultores, ut *Romei* qui Græcæ addicti. Abyssini, quod testantur variorũ Ephemerides, in Africæ, nos etiam *Alfrangues*, Christianorũ autem regionẽ *Frankiam* nũcupant. Hæc de nomine,

Situs.

sequitur Situs sive Quantitas. Quod illam attinet, tenendũ cum primis Ptolemæum aliósque veteres Europam collocare inter Climata 4 & 9: inter Parallelos 11 & 21: inter gradus latitudinis 36 & 54. longitudinis 17 & 61: nostræ ætate, quum & Solis declinatio, quemadmodùm obsevatum est, mutata sit, & plurima loca, Europę nostrę adcensenda, ad 72 usque latitudinis gradum versùs Septemtrionem in notitiã venerint: eámq; ob caussam ulterior Climatũ Parallelorúmq; Notatio fuerit excogitata: Sita conspicitur Europa inter Climata IV & XIIX: Parallelos XI & XXXV I: Gradus denique latitudinis quidẽ XXXVI & LXXI I, longitudinis autem, si, quæ longissimè se expandit, consideretur à Promontorio Hispanię, quod *Cabo S. Vincentii* hodie vocant, usq; ad lineam rectà à Tanais fonte ad Oceanum Borealem ductam, inter Gradus ferè XV I & LXX I: quæ verò brevissima, ab eodẽ Hispanię Promontorio usq; ad Maleã Peloponnesi caput, exclusis Ægęi maris, quę Europę adnumerari possunt, Insulis, inter gradus XV I & LVIII: adeò ut meridionalissima Europę sint gradu latitudinis XXXVI, Hispaniæ mons Calpe, una Herculis Columnarum, Promontorium Siciliæ Austrinum, *Odyssia* olim, & Peloponnesi, hodie